

**De noxis ex remediis domesticis incongrue applicatis ... / auctor Caspar Gottlieb Lindner.**

**Contributors**

Lindner, Caspar Gottlieb, 1709-  
Hoffmann, Friedrich, 1660-1742.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Literis Christiani Henckelii, [1729]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/jparna57>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

DE

N O X I S  
EX  
REMEDIIS DOME-  
STICIS INCONGRVE  
APPLICATIS

PRAESIDE

MAGNIFICO PRO-RECTORE

D. FRIDERICO HOFFMANNO  
FACVLT. MEDICAE SENIORE & h.t.  
DECANO

A. D. MARTII ANNI MDCCXXIX.

PRO DOCTORIS GRADU  
RITE OBTINENDO  
PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

Caspar Gottlieb Lindner,

LIGNICENS. SILES.

---

HALAE MAGDEBURGICAE  
LITERIS CHRISTIANI HENCKELII ACAD. TYP.

31 NOV 1944

ИЕРУСАЛАМСКОГО  
САНКТУАРИЯ  
СВЯТОГО

ЧЕРНЯХОВСКАЯ ОЯЗ

குந்தை குந்தை குந்தை

卷之三

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCEL-  
LENTISSIMO DOMINO,  
D O M I N O  
WENCESLAO  
ADALBERTO,  
S. R. I. COMITI  
DE WVRBEN ET FREVDENTHAL,  
DOMINO IN POMBSDORFF &c.  
SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS CONSILIARIO  
INTIMO ACTVALI ET CAMERARIO,  
CAPITANEO DVCATVS LIGNICENSIS  
ET EO PERTINENTIVM DISTRICTVVM,  
DOMINO SVO GRATIOSISSIMO.

NEC NON  
PERILLVSTIBVS, GENEROSISSIMIS  
AC SPLENDIDISSIMIS  
REGII REGIMINIS  
DOMINIS  
CONSILIARIIS  
MAECENATIBVS ATQVE PATRONIS SVIS  
SVBMISSO ANIMI CVLTV PROSEQVENDIS  
D. D. D.

VIRIS  
REVERENDISSIMIS,  
ILLEVSTRISSIMIS, PERILLVSTRBVS,  
GENEROSSISSIMIS, PRAENOBLILISSI-  
MIS DOMINTS,  
DOMINIS  
STATIBVS  
DVCATVS LIGNICENSIS  
EQUESTRIBVS  
AC  
CIVICIS,  
DOMINIS SVIS GRATIOSISSIMIS,  
SVMMOPERE COLENDIS

D. D. D.

VIRIS  
PRAENOBILISSIMIS,

MAXIME STRENVIS, AMPLISSLIMIS, DO-  
CTISSIMIS PRUDENTISSLIMISQVE

DOMINIS

CONSVLIBVS

ET

SENATORIBVS

INCLYTAE REIPUBLICAE LIGNICENSIS,

MAECENATIBVS SVIS

OMNI OBSEQVIO ET CVLTV VENERANDIS

D. D. D.

ILLVSTRISSIME COMES,  
VIRI PERILLVSTRES,  
REVERENDISSIMI,  
PRAENOBILISSIMI,  
DOMINI, MAECENATES ET PATRONI OMNI  
ANIMI SVBMISSIONE VENERANDI,



T hyberno frigore exanimata germina, sine alma  
DEI clementia & vivifici  
solis calore, naturaliter vix  
læta sua exporrigunt folia,  
nec fruges pariunt maturas: ita musæ sine  
iisdem divinis auxiliis & absque terre-  
strium

strium siderum splendidis clementiæ ra-  
diis ac fulgenti influxu vix exoptatam at-  
tingunt metam. Quid ergo mirum est, si  
VESTRO jubare fulgentissimo meum in-  
caluit pectus? ut sub VESTRA protectione  
primitiæ hæ meæ devotissima subjectione  
animam quasi & vitam acquirant. Simul  
hac occasione animum meum, quem de-  
beo, devinctissimum VOBIS, ILLV-  
STRISSIME, PERILLVSTRES,  
REVERENDISSIMI, PRAE-  
NOBILISSIMI, DOMINI publice  
probare audeo, spe fretus, fore ut te-  
nuitatem chartacei hujus muneris in  
tesseram meæ in vos æstimationis debi-  
tæ oblati, potius ex animo inscribentis,  
quam ex rei ipsius pretio æstimetis & VE-  
STRO Patrocinio sublevetis. Ceterum sum-  
mum Numen suspiriis continuis flagito, ut  
vos publico bono natos in Reipublicæ  
emolumenatum, Patriæ ornamentum, ju-  
stitiæ

stitiæ administrationem & clientum, inter  
quos & me gratiose respicite, solatum,  
per innumeros annos sospites & incolu-  
mes conservare velit, qui VESTRO Favori  
ac Patrocinio debita, qua possum, reve-  
rentia me commendo, semper futurus,


ILLVSTRISSIME COMES,  
VIRI PERILLVSTRES,  
REVERENDISSIMI,  
PRAENOBILISSIMI,  
TANTORVM NOMINVM

*Cultor æternum devindissimus,*

Caspar Gottlieb Lindner.



## PRAEFATIO AD LECTOREM.



Edicinam incrementum suum maxima ex parte experimentis vulgaribus debere, nemo facile in dubium vocabit, qui historiæ ipsius non sit ignarus. Neque ex simplici hac origine ars salutaris ignominiam quandam patitur, cum potius inde elucescat, statim ab initio illam securissimo fundamento, experientiæ sc. fuisse superstruētam, cui ratio dein eo facilius inniti possit. Affirmat hoc antiquus & solertissimus medicinæ nostræ Parentes *Hippocrates in libr. de Prædict. ubi, ne pigeat*, inquit, *a plebejis sciscitari, si quid ad curationem utile.* Ejusdemque sententiæ fuisse Galenum, ex libro *de simplicium facultatibus* patet. Ipse enim plebejos & imperitos, pescatores aliosque infirmæ fortis homines consuere non erubuit. Confirmat hoc quoque Wolffg. *Gabelchoverus Obs. Med. Cent. VI. Curat. 21. in Schol. p. 63.* scribens:

A

bens:

bens: anuum remedia non temere contemnenda sunt, veluti ab  
anu aliqua, aut agyrta, aut vespillone quodam, reperta; nam  
subinde ab istis hominibus quædam inveniuntur, quæ dein  
a medicis in artis operibus versantibus probantur propter  
utilitatem, quam ex eorum usu consequi experiuntur. Equi-  
dem laudabilis hæc methodus, ex simplici experientia  
edoceri, superiori ætate non exiguum jaēturam pati pot-  
uiisset; cum orbis Medicus jaētantia Paracelssi seductus,  
laboriosa tantum præparata chymica & arcana affecta-  
ret, simplicia vero & multum experta Galenica ad nau-  
seam usque sperneret, aut neotericorum quorundam  
more, exotica, pretiosa & curiosa quæreret, obliviousens  
rerum, quæ domi quotidie agebantur. Nascebatur in-  
de ingens medicamentorum farrago meræ ignorantiae  
filia. Verum cum nostris temporibus solertia tot eru-  
ditorum virorum matricem hanc confusionis practi-  
cæ destrueret, rudimenta illa venusta veri augmenti  
medicinæ erueret & quo pacto hæc recte in artis incre-  
mentum applicanda, solide monstraret, de novo ars no-  
stra vigere incipiebat & præstantissimum usum ex sim-  
plicissimis etiam remediis debite exhibitis experieba-  
tur. Optandum quidem, ut methodus hæc curandi  
per simplicia & domestica, inter medicos rationales &  
prudentiores tantum vigeret, sed experientia docet,  
quod indifferenter ab omnibus fere, ignaris, audacibus,  
temerariis etiam, quotidie adhibeat, quare non potest  
non aliter fieri, quam ut abusus & damnum fere præ-  
ponderet usum exoptatissimum, cum nullum in natura  
detur remedium certo morbo dicatum, quod juvet &  
quod etiam non noceat, si perverse & indiscretum adhi-  
beat.

beatur. Et cum artis nostræ salutaris certe non infimum sit momentum, abusum medicamentorum probe scire, quod etiam Hippocrat. affirmat in libr. de arte §. 7. dicens: *Quæ profuerunt ob rectum usum profuerunt, quæ vero nocuerunt, ob id, quod non recte usurpata sunt, nocuerunt; nam non minus ea, quæ damno sunt, quam ea, quæ opem ferrunt, testantur, quod ars sit medicina;* non incongruum duco, nocumenta quædam circa remedia hæc simplicia, tanquam documenta producere, & loco Dissertatio-*nis inauguralis Observationes quasdam de noxis ex re-*  
*mediis domesticis incongrue applicatis tradere.* Quod cœptum, ut in emolumentum proximi cedat, divinam clementiam humillimis precibus rogo.

## §. I.

**A**ntequam ad ipsas observationes progrediar, necessarium omnino duco exponere, quid per remedia domestica intellectum volo. Hæc sunt mihi præsidia domi usualia, simplicia, sva-  
 fu communia, facile parabilia, a plebejis plu-  
 rimum commendata, quibus medentes, aut experientia sufficieni edocti, aut figmentis, credulitate, superstitione, aut traditione anili seducti, morbos sine medico tollere tentant.

## §. II.

Quod primum concernit, ubi ab experientia rationali edocti medentes subsidia hæc, in præservatio-  
 nem, aut curationem morborum, qui corpus humanum affligunt, adhibent, minime hîc erit sermo, ne actum age-  
 re videar, cum materia hæc hinc inde sufficienti erudi-  
 tione agitata a celeberrimis viris, inter quos primum

pono *Magnificum Dnum Præsidem in Diss. de præstantia remediiorum domesticorum.* Huic adjungo catalogum hanc materiam tractantium autorum, qui legi potest in *Excellent. Dn. Alberti Diss. de cura per domestica*, ubi §. vi. recensentur illi, qui ex instituto hac de re scripsere & qui aliqualem mentionem de usu ex remediis domesticis provenienti adjecerunt. His adhuc addo *D. Carls Medicinam & Apothecam pauperum.* Quæ singula scripta sufficienter probare possunt, quod usus horum remediiorum nunquam spernendus sit.

### §. III.

Alterum vero, quod spectat, ubi medenti traditio vel supersticio imponit, disquisitioni brevi subjiciam & imprimis noxam, quæ ex horum remediiorum incongrua adhibitione provenit, quæque consistit in deterioratione morborum, ubi ex levi sæpius morbo gravis satis, pertinax & periculi plenus evadit affectus, & huic simplici & sæpe facilis curationis morbo præter spem asso- ciantur tanta symptomata, quæ damnum evidens, imo interdum mortem ipsam, corpori ægrotanti inferunt.

### §. IV.

Causæ primariæ hujus noxæ in corpus humanum redundantis sunt ipsi medentes, qui incongrua, fugaci, audaci & superstitionis applicatione, imperita & indiscreta consultatione, inepta & temeraria dehortatione, agrotum ex morbi præsentis Scylla, in symptomatum Charybdim injiciunt. *Confer. Diss. Magn. Dn. Præsidis de Medicis morborum causa.* Quo major itaque medentum imperitorum copia, eo numerosiores etiam erunt noxam

inferendi causæ. Datur autem innumera cohors juvantium; ex omnibus enim vitæ stationibus, etiam desperatissimi quique, quorum profligatissima est vita, in campos medicinæ insiliunt, &

*Fingunt se Medicos, quivis idiota, sacerdos,*

*Iudæus, pastor, histrio, rafor, anus.*

*Miles, mercator, cerdo, nutrix & arator,*

*Rastricola, molitor, pistor, agaso, faber.*

*Ambubajarum collegia, lamia, sartor,*

*Sutor, decoctor, pharmacopola, magus &c.*

Et hac de causa ctiam dantur innumeri & quotidiani errores & noxæ.

### §. V.

Veritatein & certitudinem hujus asserti, proh dolor! confirmat quotidiana observatio, quæ de damnis vulgi testatur. De hoc enim pauci ægrotantium Medicum rationalem adire solent, priusquam consultationibus domesticis morbum auferre tentaverint. Et ego non morbum credo, contra quem numerosa hæc cohors nec sciat remedium, quod audacissime & interdum sat infeliciter adhibendum suadet.

### §. VI.

Ad specialius hocce probandum suffecerit observationes quasdam nunc tradere, quas mihi intra tempus, quo artem Hippocraticam colui, observare licuit, aut quas hinc inde observatas deprehendi, quæ testatam facient evidentem noxam ex remediorum horum innocentium sæpe inepta & præcipiti adhibitione provenientem.

## §. VII.

Initium faciam a febribus, communissimum generis humani morborum genus, quod quo s<sup>a</sup>epius corpora afflit, eo s<sup>a</sup>epius quoque medicationibus domesticis obnoxium sit, & quamvis per se rarius patienti exitiale sit, (exceptis febribus malignis,) tamen ineptis his consultationibus & incongruis curationibus quotidie fere ita turbatur, ut multis mortem, aut saltim rudimenta hujus inferat.

## §. VIII.

Comprobatur hoc dictum curâ domesticâ generali omnium febrium acutarum, dum, tanquam ex consuetudine, ineunte affectu sudorifera & calidiora, interdum sat potentia, ægrotanti propinantur, cui simul regimen ad sudorem commendatur, dum hypocaustum æstuat, æger lectis & stragulis obruitur, ut s<sup>a</sup>epius vix respirare possit. Uni obtruditur cibus, alteri denegatur potus, aut incongruus uti est nimis calidus potus thee, Coffeé substituitur, nunc loco analepticorum dantur potus spirituosi, vina, nunc ad æstum moderandum incongrua refrigerantia. In his turbantur salutares admodum eventus, crises nempe, in aliis curantur infeli*c* successu symptomata. Proveniunt ex hac, incongrua medicatione totius morbi exacerbationes, intollerabiles æstus, inquietudines continuæ, jactationes irrequietæ, anxietates summæ, infarctus & inflammations viscerum insolitæ, abalienationes & delirationes mentis, virium maxima prostratio, crisiū salutarium turbationes harumque in locum irrexit febris lenta vel hec*tica*, patientem non raro morti tradens.

## §. IX.

## §. IX.

Testantur hæc duo sequentia exempla, quæ hic observata allegare libet. Primum est juvenis 20. annorum, qui post consuetas hactenus compotationes & prægressam mentis quandam alterationem satis sensibilem, subibat horrorem, ut lectum petere oporteret. Advolabat sapiens Senatus mulierum & unanimiter vulgare illud ignorantiae asylum (*das Wehethun*) accusabant, hinc more solenni super sellam trahebatur, quo facto prudentior ex medicastrulis commendabat vinum calefactum & aromatisatum (*Gluhwein*) copiose ingurgitandum simulque urgebat conatum ad sudorem, quem insuper accelerare debebat hypocaustum calens & accumulatio lectorum. Patiens ad nutum obediens restitutionem prædictam craftinam anxie sperabat, sed frustra, caput enim susurris, tonis & choris replebatur, oculi mire dolebant & miser ante hos muscas volare putabat, mensque abalienari incipiebat; Interea sudor frustraneo conatu urgebatur, medicamentum sudoriferum de novo assumi concludebatur, cum tamen ne mador quidem appareret; accrescebat dolores & confusiones capitis inde mirum in modum, æstus erat intolerabilis, anxietates pectoris summæ, quæ ad tertium usque diem augebantur, in hoc erumpebat hæmorrhagia narium, quæ omnino ægro levamen attulisset, nisi pessime iterum consultum fuisset, criticam hanc profusionem sistere, cum fomes igniarii (*der Zunder aus dem Feuerzeug*) aceto imbutus naribus intruderetur & sic hæmorrhagia sisteretur. Horis 6. post æger de ardore faucium querebatur, quibus inspectis hæ & lingua valde

valde tumefactæ reperiebantur & malum jam adeo incrementum sumserat, ut patiens vix deglutire posset. Re sic periculi plena, cura Medico tradebatur, qui circumspectiori methodo ægrum a morbo hoc liberabat.

### §. X.

Alterum exemplum constituit femina 28. annorum, sensibilioris conditionis, quæ dum motus quosdam febriles sentiret, jussu mulierculæ agnatæ, MRam ex spiritu vini & calamo aromatico, non parca in quantitate assuebat per dies duos repetitis vicibus; sudor inde speratus non apparebat, in hujus autem locum prodibant summæ anxietates præcordiales, æstus ardens & continuæ inquietudines, & quod primam medicationem insciis postulare videbatur, erant dolores & puncturæ dorsales, quæ mirum in modum ægram vexabant. Ex consilio mariti totum dorsum butyro insulso inungebatur, unde dolores aliqualiter remittebant, die vero undecimo patiens materiam purulentam ejiciebat, & in febrem lentam, imo hecticam incidebat, quæ adhuc hodie mortis pabulum ab illa vocatur. Annectere hic libet observationem *Hagendorpii*, de mixtura quadam antifebrili vulgo consueta, ex spiritu vini cum cineribus, pipere, zingibere, sale culinari &c. composita, quam in accessione febrium dare mos erat, sed impari sæpe fortuna, quod duobus exemplis confirmat, ubi mixtura hæc lethali cum eventu exhibita fuit vid. ejus *Histor. Med. Phys. Cent. II. Hist. 51.*

### §. XI.

Errorem quoque in patria jam notatum non possum præterire, qui sæpiissime obvenit, quando a medica-

dicastrulis incongrue his in febribus vinum Hungaricum loco analeptici propinatur, unde supra recensita symptomata & morbi turbationes provenire non semel observavi.

### §. XII.

Quos in præcedentibus de febribus acutis simplioribus notavi errores & inde evenientes noxas, hæ pari modo in febribus acutis exanthematicis observantur, imprimis quoad exhibitionem calidiorum remediorum & regimen æstuans, causamque non levem in hunc errorem pono, cur affectus hi sæpius tam sinistri sint eventus & qui temperatissime tractari volunt, æstuantibus sudoriferis ita male invertuntur, ut inopinato mortem ægro inferant.

### §. XIII.

Hoc fatum experiebatur hujus urbis vegetus incola, qui febre haetenus grassante petechiali correptus, antidotum suum domesticum, quod ex camphoræ (quæ alias cum f. q. nitri aliisque diluentibus data, egregium habet usum) larga portione & lap. 69. constabat, per tres dies repetitis vicibus assumebat, die quarto experiebatur immania deliria, quæ morbi periculum annunciant, quod etiam die sexto appropinquabat, ubi accedente inflammatione faucium & supervenientibus aphthis æger vix deglutire poterat; septimo die apparebat purpura alba & medicum hunc sui ipsius incongruum morti tradebat.

### §. XIV.

Certum quidem est, hacce in febre multum emolumenti ferre alvum laxiorem, tam ratione præservatio-

nis, quam ratione curæ & mitigationis symptomatum, ast ubi pro hoc scopo purgantia fortiora propinantur, præter debilitatem corporis, quam inferunt, maximam quoque turbationem totius morbi pariunt, ut inde lethales non raro eventus proveniant. Quale quid observavi in viro sensibilioris & vegetioris alias naturæ, qui febre petechiali correptus, assumebat pulverem ex rad. Jalapp. & fol. senn. largiori in dosi, inde patiebatur plus quam 40. sedes, quæ ipsum adeo enervabant, ut propter summam debilitatem petechiæ retrocederent, ita ut vitam cum morte mutare cogeretur. Simile quid observaverunt *Annal. Vratisl.* 1726. April. Claf. IV. p. 499. in rustico optimæ ætatis viro, qui febre hac grassante & illum invadente a balneatore pilulas acceperat, quibus assumtis secuti sunt enormes vomitus & incompeſcibilis diarrhœa, tam diu durans, usque dum e vivis excederet.

### §. XV.

In variolarum morbo eadem noxæ ex calidis remediis exhibitis progenitæ annotandæ veniunt. Pecatur enim hic quotidie a vulgo tam quoad regimen, quam quoad ipsam curam. Quoad regimen censenda veniunt conclavia æstuantia, nimia lectorum accumulatio &c. quoad curam vero consueta sudorifera & remedia calidiora, inter quæ unum nominare libet, quod exhibitionis hic loci vulgarioris est. Est hoc stercus ovillum, quod patientibus offertur, vel solum siccatum in pulvere, vel cum spiritu vini mixtum, a quo tandem sudor exspectatur. Duabus vicibus inde notavi enormes æstus, anxietates maximas, inquietudines & debilita-

litationes summas, quæ aut pustularum eruptionem impediebant, aut tamen harum maturationem. In aliis quoque observavi majori in copia protrusa fuisse exanthemata, quæ singula morbum periculosiore, diuturniorem & graviorem reddebat.

### §. XVI.

Solennior tamen noxa infertur a vulgo remediis domesticis in curatione symptomatum, quæ non raro variolis superveniunt. Imprimis quotidie fere peccatur in præservandis cicatricibus. Ex oleosis, unguinosis & butyraceis, observavi in puerō octo annorum post retrocessionem exanthematum epilepsiam; in alio catarrhum suffocativum, post illinitas in facie pustulas cum butyro insulso, cui addo observationem, quam *Annal. Vratisl. Ann. 1721. Mart. Claf. IV. p. 320.* habent, ubi parentes puerō variolis confluentibus laboranti totam superficiem cutis, pustulis nondum maturatis oleo olivarum illiverunt, unde puer catarrho suffocativo mortuus. Nuperrime nova mihi methodus obvenit, ubi satis incongrue vetula quædam tribus infantibus ad præcavendas cicatrices in facie frustulum plumbi frigidi per vices imprimebat exanthematibus, sinistro tamen eventu, uni enim ex infantibus inflammabantur fauces & pustulis obsidebantur copiosissimis, a quibus tamen antea fuerant liberæ; alter subibat asthma humidum, ut catarrhus suffocatus inde timeretur, ultimus patiebatur enormia tormenta abdominis, quæ tandem cum levamine diarrhœa fœtidissimæ materiæ sequebatur.

### §. XVII.

De Febre catarrhali placet in fine acutarum adhuc

noxam quandam notare, quæ ex remediis domesticis provenit. Manifestat se febris hæc primario cum tussi quadam, ob quam vulgo nil familiarius est, quam dulcibus uti. Quantum quidem hîc prosint, ego non video, cum magis noceant. Placet hac de re iudicium Magn. Dn. Præsidis ex *diff. de remediorum benignorum usu & abusu* allegare, ubi §. 9. inquit: *Ratio, cur dulcia in febribus noceant, in procinctu est, nam in omni febris genere natura corporis occupata est, illud, quod superfluum, quod ipsi inimicum, quod stagnat, quod obstruit aut putreficit, auctiori motu resolvere, amovere & foras eliminare.* Jam vero per talismodi dulcia, viscidioris & immobiliaris indolis, natura in resolutionis & excretionis desiderato negotio non modo multum impeditur, quin potius novus quasi fomes & materia febrium hac ratione subministratur. Annexo adhuc hac de re querimoniam Henrici ab Heer lib. I. Obs. 5. ubi ait: *multos ægrorum divitum interire in febribus propter abusum syrporum & dulcium saccharorum, utpote, quod nimium febres exacerbant.*

### §. XVIII.

Digredior nunc ad febres intermittentes, & noxas, quæ mihi innotuere, proferam, quæ ex cura domestica originem trahunt. Multo numerosiores sunt illis, quæ in febribus acutis eveniunt, & credo hanc ob rationem, quia in initio non tantum periculum produnt, aut si diuturniores sint & pertinaciores, ægris malum intolerabile fiunt & sic ausibus temerariis sæpe ansam dant, unde vulgare illud: *Wenn nichts hilft, so wollen wir doch unsre Haus-Mittel probiren.* In genere vero peccatur in cura domestica horum remediorum duplicitate modo,

modo, vel febris exacerbatione, unde ex intermittentibus continuæ, vel ex præpostera suppressione, infarctus, obstrunctiones & inflammations viscerum, scirrhi, hydrops, œdemata pedum, icterus, lentæ & hepaticæ febres &c.

### §. XIX.

Non possum approbare morem solennem, quo ingruentibus motibus febrilibus & quoque jam repetitis, imprimis brevi ante paroxysmum, remedia calidiora, spirituosa ordinantur, quibus nil aliud efficitur, quam ut materia morbi in initio ut plurimum ventriculo & intestinis inhærens resolvatur, subtilisetur & sic ad sanguinem feratur, ubi omnino auctiores motus causari debet. Tribus ego vicibus observavi febrem tertianam in continuam mutatam ex immoderato spiritus vini hauſtu, imprimis ingruente paroxysmo, quod aliis quoque evenit, qui spiritu vini piper, aut cineres clavellatos, aut calatum aromaticum, admiscere in usu habent. Tale quid observarunt quoque *Annal. Vratisl. Ann. 1721. Mens. August. Clas. IV. p. 189.* ubi febris tertiana, post assumta novem grana piperis nigri cum spiritu vini, mutata est in febrem continuam ardenter, & in alio eadem curaſomnum lethalem post se traxit.

### §. XX.

Domesticis remediiſ annumerare non erubefco corticem exoticum Chinam de China, quia vulgo admodum innotuit, ut toto die in curatione febrium intermittentium adhibetur. Cortex hic cum judicio & debita circumſpectione datus omnino laudem suam meretur his in febribus, uti hoc fusius & ſufficienter de-

monstrauit Magnif. Dn. Præses in *diss. de recto corticis Chinæ usu in febribus*; Imperitè vero, indiscretim, injusto tempore, incongrua dosi ineptoque regimine adhibitus, tristissimos sæpius exerit effectus, quos quotidiana experientia probare potest. Dolendum certe, quod hoc remedium in apotheculis domesticis inter prima inveniatur & tam imperitos & multiplices exhibtores habeat. Binis vicibus noxam annotavi ab exhibitione solius ejus pulveris (vor 6. Pfennige braune China) ubi in femina pedum tumores oedematosos, in juvēne vero artuum stupores, causabat.

### §. XXI.

Innumeri certe sunt vulgo familiares modi, quibus febres intermittentes curationibus & consiliis suis domesticis sæpiissime satis incongruis turbant vel supprimunt, quos vero hic recensere nimis prolixum foret. Mitto lectorem ad *Annal. Vratislav.* ubi *Ao. 1721. Decembr. Class. II. p. 608.* *Ao. 1721. August. Clas. IV. p. 189.* *Ao. 1724. April. Clas. IV. p. 440.* varias absonas, superstitiones & ineptas curationes febrium intermittentium videre licet.

### §. XXII.

Recensitis sic communioribus, quæ obveniunt inter vulgus noxis ex incongrua applicatione remediorum domesticorum in febribus, nunc videam, quid inali ex hac eadem perversa methodo in congestionibus sanguinis & inflammationibus inde propullulet. Non minus enim ac febres hi affectus subjecti sunt medicationibus domesticis, ita ut hujus veritatem quotidiana experientia confirmet,

### §. XXIII.

## §. XXIII.

Comuniter obvenit feminis non rite menstruantis, ut fere semper querelas ferant de primis viis, nunc flatulentias accusant, nunc cruditates ventriculi, nunc aliud quid, cum tamen causam morbi radicatam magis esse circa ventriculum in vasis sanguineis puto, quæ a congesto sanguine distenta, tensa & compressa, has turbas primis viis inferunt. Sanguine sic circa has partes accumulato, quid inconvenientius dari potest, quam purgans drasticum? quod tamen expertus sum in femina, quæ ingurgitato pulvere ex rad. Jalapp. loco laxationis, enormes patiebatur conatus ad vomitum, paucamque materiam evomebat; concurrebant simul anxius & ardens æstus cum dolore strictorio circa præcordia, virium aderat dejectio evidens extremarumque frigus, quæ testes erant de inflammatione ventriculi. Nec minus res male cedit, si tali in statu vomitorium assumitur, observare mihi licuit inde vomitum cruentum & satis pertinacem, qui miseram vitæ periculo evidenti exponebat. Eandem noxam spondent similes medicationes in viris, qui hæmorrhoidum irregularitate aut plenaria suppressione laborant, & observavi virum æquali periculo expositum fuisse, cum de nausea per dies continua conquestus esset & loco vomitorii fumum tabaci ingurgitasset.

## §. XXIV.

Damnum, quod stimulantia hæc acria ventriculo sanguine turgido inferunt, simile creare possunt refrigerantia, inter quæ tribus vicibus eventum sinistrum produxit aqua frigida largiter ingurgitata, unde inten-

intensior inflammatio ventriculi cum febre & summa prostratione virium originem traxit. Sic vir potui spir. vini addictus tale quid experiebatur, cum spirituofus hic liquor summos ardores præcordiorum causaret, & ad hos moderandos potum aquæ frigidæ superfunderet.

### §. XXV.

Erysipelas, licet cautissimam requirat externorum applicationem, quotidie tamen topicis oleosis, unguinosis, refrigerantibus, repellentibus & adstringentibus satis incongrue tractatur. Surditatem, ex retropulso erysipelate per vaporem aceti faciei admissum, ante annum in pueri 14. annorum observavi, quæ tamen sponte intra paucos menses, effluxione materiæ fœtidæ, ex auribus solvebatur. Catarrhum suffocativum, post inunctionem erysipelatis faciei cum butyro sequutum, observavit Cel. D. Junckerus *Conspic. Medic. p. 176. Ed. nov.* Quid possit aqua frigida in hoc affectu testari potest *Hagedorn Hist. Med. phys. Cent. I. Hist. 38.*, ubi femina inflammatiōne faciei laborans, pessimo ausu linteamina aqua frigida imbuta parti affectæ applicaverat, inde dolor quidem sopitus, ast malum interiora petens, delirium tam horrendum causavit, vt mortem inferret. *Idem autor* gangrænam ex applicatione aquæ frigidæ faciei observavit. Et ego ex hacce eadem methodo periculosam faucium inflammationem ortam fuisse recordor, quæ adeo increvit, ut deglutitionis actum etiam impediret.

### §. XXVI.

Ulcera cacoëthica, gangrænosa, quæ vulgo dicuntur  
Todten-

Todten-Brüche huic eadem incongruae cui & non raro originem suam debere, pluribus practicis observationibus demonstrari potest. Relatum mihi a viro tale ulcus gerenti, ex erysipelate femoris retropulso per albumen ovorum alumine mixtum, provenisse. Nec mihi ignota sunt exempla, ubi post applicatum cataplasma ex herbis emollientibus, laeti incoctis, item ex oleo terebinth. applicato, ulceræ mali moris, difficillima curatu, præsertim in subjectis impurioribus, prodierunt. Id quod nuperrime quoque observavi ex applicato plumbo frigido.

### §. XXVII.

Ne omnes alias inflammations & damna ex cura incongrua domestica in iis provenientia sicco pede transeam, annectam errorem communissimum plebis, quæ in inflammatione ginguarum & inde proveniente dolore, sic dicto dentium, temerario consilio applicatis nivem, sive aquam frigidam, sive etiam acetum parti affectæ & inflamatæ, & inde saepius oris abscessus, satis ingratos, molestos & dolentes efficit. Nec præterire volo consuetam noxam, quæ inducitur pleuridi sub inunctione oleosorum aut unguinosorum topicorum, unde malum multo magis augetur, aut in majora mala transmutatur.

### §. XXVIII.

Nunc me ad hæmorrhagias accingam, quæ plus, quam optandum est, perversis domesticis consiliis obnoxiae sunt & quotidie fere inconsulto adstringentibus, repellentibus, refrigerantibus, imo stypticis tractantur, ut inde nil nisi mala plurima redundant. Initium

C

faciam

faciam à hæmorrhagia narium, salutari certe utplurimum sanguinis excretione, quæ variis modis ab imperitis medicastris sistitur; vel enim commendatur aeti, aut aquæ frigidæ, aut spirit. vini, aut alius adstringentis attractio in nares, vel hæ obstipantur crassiori methodo, vel linteaminibus soluto alumine imbutis, vel quod sæpius evenit telis aranearum. Sistitur utplurimum quidem inde fluxus, sanguis autem huc translatus exitu tamen prohibens, ad alia loca transit & ibi sæpius tragœdias suas ludit. Si ad interiora cerebri ruit, cephalalgias, phrenitidem & apoplexias, si ad aures, susurros aut surditatem, (quod in pueri 12. annorum vidi) si ad oculos, dolorificas inflammationes, sive cœcitates, si ad fauces inflammationes anginodes, vel dolores dentium, si ad pectus, summas anxietates præcordiales, quin in magis succulentis catarrhum suffocatum causat, quod in puella irregulariter menstruata aliquando annotavi.

### §. XXIX.

Non inconsuetus vulgo mos est hanc excretionem sanguinis per terrorem sistere, ad quem excitandum varia adhibent subsidia, vel enim improviso superfundunt capiti aquam frigidam, vel nivem, aut glaciem, imo ferrum candens nuchæ applicant. Methodus vero hæc æquales sæpius habet eventus, quos superiori paragrapho enumeravimus, imo interdum periculosiores, diuturniores, perfacile etiam lethales. Cæcitatem ex hæmorrhagia per terrorem obstructa observarunt annal. Vratisl. an. 1726. April. Cl. IV. p. 503.

### §. XXX.

## §. XXX.

Anne etere hic placet observationem & cautionem, quam *Magn. Dn. Præses* habuit, ex *diss. de erroribus vulgaribus circa usum topicorum in praxi*, ubi ait: *Vulgus in usu habet, in nimia hæmorrhagia nummum argenteum, aqua frigida madidum, fronti vel toti collo injicere, at vero, si tale quid factum fuerit in initio, non sine periculo apoplexiæ instituitur.* Notabilis quoque observatio *Hagendorn. l. c. Cent. I. Hist. XX. p. 35.* huc quadrat, ubi scriniarius Görlicensis inter labores familiarem hæmorrhagiæ narium experiens iteratis vicibus redeuntem, hinc tædio molesti hujus fluoris ductus, apprehendit lignosas particulas (*Hobel-Spâne,*) quas naribus intrudit, spe citius certiusque sopiendæ hæmorrhagiæ; quod etiam fit & fluxus fistitur. Sed altero die experitur vertiginosam capitum gyrationem, quam infeliciter insecura est epilepsia, nulla arte tollenda, usque dum penitus viribus orbatus, diem suam supremam obire cogeretur.

## §. XXXI.

Valent hi errores vulgi ex incongruis applicatiōnibus remediorum domesticorum etiam in aliis hæmorrhagiis, de quibus omnibus exempla dare nimis prolixum foret. Sufficiat dixisse: nos hecticam lethalem in sartore quodam annotasse, ex adstricta & obstipata hæmoptysi, per vaporem ad pulmones admissum ex aceto vini, in quo alumen erat solutum, omnibus aliis remediis omisis. Dignum tamen est, quo adducam observationem *Magn. Dn. Præsidis ex diss. de erroribus vulgar. circa topica*, ubi femina hujus loci, dum nimio mensium profluvio laboraret, hoc sibi sistebat injectione Dcti millefol. cum alu-

mine acuati, & inde sibi ulcus cum tabe & hectica febre lethale contrahebat.

### §. XXXII.

Adeam nunc affectus, qui cum dolore fiunt; incommoda certe hæc sunt, quæ totum corpus ita excruciare possunt, ut tam hujus, quam animi functiones inde mire turbentur. Rite & ordinarie quidem tractati hi affectus corpori rarissime lethalem noxam inferunt, imprimis si species dolores arthriticos, contra vero temerariis ausibus, incongruisque medicationibus tractati, saepius homini vitam adimunt.

### §. XXXIII.

Primo loco ponimus dolores arthriticos & in specie podagricos. Incredibile est, quantis hi damnis obnoxii fiant ab imperitissimis juvantibus. Primarium quod censendum venit, est, quod præcipua fere intentione vulgi sit, quo dolores sopiantur, materia, morbo somitem præbens, in corpore relictæ, & tantum a partibus ignobilioribus ad magis nobiliores protrusa, a qua curatione maximum infertur sanitati corporis damnum. Proveniunt inde periculosisima interdum mala. Si materia morbi protruditur ad caput, facit epilepsiam, uti habet *River. Cent. III. obs. 85.* vel apoplexiā, vid. *Weppferus de apoplexia p. 2.3.* Si fluit ad pectus, oriuntur inde anxiæ pressiones, respiratio difficultis, tusses feroce, siccæ, & nonnunquam catarrhus suffocativus; si ruit ad ventriculum, fiunt inde singultus, cardialgiæ, inflammations, si ad intestina, creat dolores colicos immanes, si ad renes, producit calculum, quid quod plures alios faciat sinistros eventus, uti infarctus viscerum, inflammatio-

tiones, & non raro hecticas febres, de quibus plura leg.  
in diss. Magn. Dn. Præsidis de Podagra retrocedente in cor-  
pus.

### §. XXXIV.

Subsidia, quibus vulgus ad sistendos & demulcen-  
dos dolores utitur, innumera fere sunt, hinc tantum  
mihi notata proferam, quæ sunt: I. Pedum immissio  
in aquam frigidam, vel nivem, vel in aquam, in qua  
plumbum ustum solutum, observavi a methodo priori  
immanes dolores colicos, a posteriori vero tumores pe-  
dum aquosos, quibus ulcera mali moris supervenerunt.  
II. Alumen & acetum linteamentis additum & pedibus  
applicatum, unde dolores intermittebant, sed die post  
vomitus repetiti ægrum vexabant cum enormi anxie-  
tate præcordiorum, quæ inflammationem ventriculi de-  
tegebat. III. Farina fabarum succo citrorum immatu-  
rorum incocta & parti affectæ admota, a quo dysuria in-  
signis & tandem mictus cruentus oriebantur. Addam  
similis farinæ observationem, quam habent *Act. Haffn.*  
*Vol. III. obs. 50.* de cataplasmate ex farina triticea aceto  
incocta, quod post applicationem & inde cessantes do-  
lores, maximas anxietates, febrem, deliria & denique  
mortem produxit.

### §. XXXV.

Notabilem adducit *Hagendorf l.c. Hist. 28. Cent. I. p. 50.*  
observationem, ubi mercator quidam podagricus per  
epithema, ex aquis destillatis cum cerussa, camphora &c.  
confectum & applicatum, dolores sibi leniit, inde visus  
est loquela amittere, nec brachium sinistrum movere  
potuit, seqventibus pectori asthmatico & mortis jam

signis non obscuris. Lethalis quoque eventus incongruae curae narratur in *Act. N. C. dec. III. an. VII. Obs. 147.* ubi quidam dolores podagricos per potum frigidæ aquæ suppressit, & tunc emetico sumto enormes vomitus per mensem passus est, intercurrente singultu, appetitu abolido, siti aucta, febre continua, urina suppressa & tandem superveniente morte, post quam ventriculus summe inflammatus fuit repertus.

### §. XXXVI.

Non inconsuetum quoque est vulgo, ad discutendos tumores podagricos camphora, alias non spernendo, si debite & circumspecte adhibitur, remedio uti, unde plus vice simplici relictos observavi nodos, qui ægro vexas non exigua sub qualicunque mutatione aëris ferebant. Majorem multo vero creant noxam emplastra, partibus dolentibus applicata, quas tamen hic recensere supersedeo, ne dissertationis terminum transcendere videar, allego tantum super hanc materiam *Annal. Vratislavienf. 1718. Octobr. Claf. IV. p. 1752.*

### §. XXXVII.

Pervenio ad errores, qui medicationibus incongruis domesticis in colicis doloribus inducuntur. Dibus vicibus inflammationem observavi intestinorum, quando ad colicas passiones leniendas, quæ ex suppressis hæmorrhoidibus provenerant, remedia dolorem sipientia in usum vocarunt, inter quæ unum erat acetum semini papaveris albi contusi superfusum & assumitum, & alterum larga ingurgitatio potus frigidi. In viro annotavi, qui colicis doloribus ex impuritatibus primarum viarum laborabat, incongrue applicatum ung-

ven-

gventum ex oleo lini & theriaca compositum, quod efficiebat, ut dolores adeo augerentur, ut motibus convulsivis per vices afficeretur. Ex decocto papaveris seminis cum lacte, quod infanti propter tormina, quæ à matre tunc purgante proveniebant, propinabatur, observarunt collectores *Vratisl. Annal. 1719. Maj. Clas. IV. p. 604.* post gravem somnum convulsiones, dolores punctorios pectoris & colorem subluridum totius peripheriæ corporis.

### §. XXXVIII.

Pauca adhuc notare animus est de morbis serosis, & quomodo & hi remediis domesticis perperam applicatis deteriorentur. Primum aggredior quosdam affectus, qui exanthematibus seroso-lymphaticis stipati sunt, inter quos primus sit scabies. Incredibile est quam incongruis medicationibus hæc subiecta sit, imprimis quod spectat ad remotionem pustularis excretionis, in hac quotidie peccatur ungventis, oleosis, mercurialibus, adstringentibus, refrigerantibus, omisis fere omnibus internis evacuantibus & alterantibus; proveniunt inde pessimæ transmutationes morbi, ut sunt angustiæ præcordiorum, cardialgiæ, asthmata, catarrhus suffocatus, tusses, febres intermittentes, inflammations, tormina colica, febres hecticæ, cachexia, oedema pedum, quin hydrops universalis, deliria, anasarca. Mihi observare contigit post inunctionem butyri sulphuratum morem totius corporis & in femina asthma humidum molestissimum. Sartoris filius ad scabiem amovendam se lavabat aquâ extinctionis fabrorum, unde immania tormina post siccatam humidam scabiem ventris experie-

riebatur, cui tandem febris tertiana superveniebat & ægrum sanitati restituebat. Nullis autem magis nocetur remediis quam mercurialibus, de quibus certe optandum, quod non tam communis essent compositio-  
nis ac usus inter vulgum. Testatur hac de re sæpius cita-  
tus *Hagendorius l.c. Cent. I. hist. 9. p. 17.* ubi epilepsia men-  
tionem facit, quæ post retropulsam scabiem cum mer-  
curialibus orta est, & idem autor *cent. II. hist. 92.* ex ea-  
dem causa catarrhum suffocativum progenitum fuisse  
profert; quibus *Aet. N. C. cent. I. obs. 75. & dec. I. an. 8. obs.*  
*77. it. cent. VII. p. 303.* addi possunt.

### §. XXXIX.

Postpono scabiei perversæ curationi æqualem ex-  
cretionum exanthematicarum capitum, quæ vulgo com-  
munis est; veniunt hæ pustulares excretiones primario  
sub nomine achorum & tineæ capitum, de quarum cura  
*Magn. Dn. Præf. in diss. de errorib. vulg. circa topica* ita sen-  
tit: *Quod attinet aches & tineam capitum in infantibus, nil*  
*magis solemne est imperito vulgo, quam ut lotionibus cum va-*  
*riis lixiviiis, decoctis, inunctionibus, tam sulphure & oleo oli-*  
*varum aliisque unctuosis & linimentis, removere querant hoc*  
*malum: nil etiam porro est, quod accuratiori observatione te-*  
*ste majora incommoda post se trahat, quam haec sanandi ratio,*  
*sequuntur enim ex ea epilepsia, inflammationes oculorum, sup-*  
*purationes eorum, epiphora, imo quandoque gutta serena, vel*  
*graves peripneumoniae, asthmata & ejusmodi generis plura.*  
Ut specialius per observationes veritas hujus fundatis-  
simi asserti pateat, adducam pauca quædam exempla.  
Ipse in puero ex tinea capitum per butyrum majalem, cui  
creta immiscebatur, retropulsa, notavi sequentem gra-  
vio-

viorem inflammationem oculorum. In duobus aliis observavi, quod ex lotionibus repetitis capitis cum aqua sulphurata, in uno post retrocessionem tineæ, motus epileptici, in altero vero asthma humidum, originem traxerint. Ab oleo olivarum capiti inuncto provenit in puerilla achorosa surditas per 7 menses durans. Notatu digna legi potest de achorum repulsorum noxa observatio apud *Hagendorf. cent. I. hist. 8. l.c.* quæ ab inunctione olei amygdalarum dulcium amararum initium sumvit. Et nuperrime mihi obvenit, ut causam eruerem suppurationis oculi dextri infantis cuiusdam, quæ accusabatur prægressa inspersio pulveris cerussæ in achores, post quam evanissent.

#### §. XL.

Restat sic ut quasdam observationes de morbis serosis simplicioribus tradam, qui sine exanthematibus obveniunt. Familiaris catarrhalis defluxio, coryza nempe, magnum levamen capiti inferens, rarius quidem remedium requirit, cum ordinario fere per se intra paucos dies terminetur; attamen impatientioribus intolerabile malum fit, præsertim cum diuturnioris quandoque sit indolis, hinc auxilia querunt. Ex subsidiis domesticis vidi contrario eventu acetum naribus attractum fuisse, quod fluxum sistebat, inde autem asthma humidum molestissimum oriebatur. In juvene vero observavi, cum coryza laboraret & defluxionem fisteret per adductum in nares fumum tabaci, sed hac emanente & obstructa, tumor magnus totam faciem occuparit.

#### §. XLI.

In pectoris morbis, qui cum seroso-lymphatica acri excretione stipantur, nil communius est obser-

vare, quam vulgi abusum in dulcium, inviscantiumque exhibitione, quem morem & inde provenientem noxam solide detexit *Magn. Dn. Præf. diss. de remediorum benignorum abusu & noxa, §. 9.* quæ monita ob prolixitatem vitandam hic nolo rescribere. In diarhœis curandis etiam atque etiam medicationibus domesticis damnum infertur & imprimis ex præcipiti nimis harum cohibitione, succedunt inde dolores colici acutissimi, translationes materiæ in alia loca, ad caput, pectus &c. hinc catarrhi suffocativi, tusses, vertigines oriuntur, quin & ob immoderatam adstrictionem obstrunctiones viscerum &c. Talem eventum animadverti in fabro ferratio, qui fluxionem ventris sistebat per ingurgitatum acetum, qui postea pedes œdematosos hac ex cura sibi contraxit. **Vulgare** hic est remedium nucem moschatam cum vitello ovi incoquere & assumere, unde saepius diarrhoea sistitur, sequuntur vero adhuc saepius predicta molesta & periculosa symptomata.

### §. XLII.

Ultimo loco tradere volo noviter annotatam noxam de incongrua suppressione sudoris pedum, excretionis certe momentosæ & salutaris. Patiebatur Studiosus quidam continuas has excretiones cum foetore ingratissimo, quæ magno erant ipsi incommodo. Impatiens igitur hujus morbi, consilium petit a contubernali; hic pediluvia commendat multæ, uti jactabat, experientiæ, ex aqua simplici, in qua alumen dissolutum. Fit hoc & continuatur consilium per duas septimanæ, unde pedetentim sudores suppressimuntur & emanent. Succedunt vero vertigines capitis, foetor oris intolerabilis & saepius in die tremor artuum gravis, multis que negotiis patientem ineptum faciunt. Consequentiae hæ perniciose adhuc usque durant, nullaque arte hactenus sudor pedum iterum proliendus fuit. In viro ex eadem hac inconsulta suppressione rheumatismos artuum gravissimos

mos observavi, cum in aceto cretam solvisset & massam hanc pedibus applicasset. Non præterire possum *Magn. Dn. Præsidem*, qui de hac noxa in *diss. de Transmutatione morborum p. 31.* ita inquit: *periculi plena res est, hanc salubrem excretionem imprudenti consiliosistere. Quo fine calceis limaturam ferri, aurichalci & terras calcarreas uatas inspergere solent. Novimus vero exinde vertiginem aut capitis gravitatem, aurium tinnitus, difficultem respirationem, ventris tormenta atque vagos artuum dolores subortos, qui nulla arte vel consilio superari poterant.* Spectat huc, quod *Sim. Pauli in Q. B.* ait: *Valetudini male consulunt, qui fætorem pedum retropulsuri calceis myrti folia, limaturam martis &c. imponunt & ibid. p. 215.* notabilem habet historiam, ubi quis a suppresso pedum fœtore in gravem cordis palpitationem, postea in nodosam podagram incidit. Quibus merito adjungam sententiam & observationes, quæ habentur in *Annal. Vratisl. 1722. Jan. p. 88. & 1724. Febr. p. 203.* lectu certe dignissimas.

### §. XLIII.

Sufficiat, has paucas observationes de noxis ex remediis domesticis incongrue adhibitis in morbis quibusdam tradidisse, ne præter opinionem dissertatio mea excrescat. De singulis enim morbis singulos errores tradere, neque mearum est virium, neque meæ intentionis, potius tale quid exercitatoribus practicis relinquo; addo tantum in fine adhuc, non exiguum ex hisce observationibus fluere posse ægrotis emolumentum, si in juvantium, eventibus sinistris his deterritorum, manus imposterum non amplius incident, & si tamen factum sit, magnam lucem hæc accendunt medico in curatione turbati morbi, quid quod hic utilissimas cautelas exinde excerpere possit magno cum fructu usurpandas.

### F I N I S.



# FRIDERICVS HOFFMANNVS

h. t. PRO-RECTOR

VIRO IVVENI PRAENOBLI ET CLARE DOCTO  
DN. CASPARI THEOPHILO LINDNERO

S. D. P.

**R**erum salubrium & insalubrium scientiam Medicinam iam pri-  
dem recte dixit HEROPHILVS. Siue enim morbus arcendus,  
siue curandus, neutiquam certe sufficit nosse salutaria tantum, ve-  
rum etiam ea quæ damnum inferre apta. In præseruatione quidem  
omnium maxime necessaria cognitio nocentium, quibus tempestive re-  
motis, præscinditur simul succrescens inde morbus. Curatio autem  
nunquam etiam ex voto succedit, nisi tam quæ facienda, quam quæ  
omittenda sint, sciat artifex. Sed latius patet hæc scientia ac vulgo  
creditur. Omnia enim quibus Medicus utitur auxilia, ita sunt com-  
parata, ut eodem modo salutem, ac damnum, procurare valeant. Ideo  
Medicina ars est, cuius exercitium, exactam cognitionem, qua condi-  
zione quid prosit, vel noceat, supponit & perito usu vnice absolvitur.  
Si secus fit, Empiria est, non Medicina rationalis. Tu, CANDIDA-  
TE DOCTISSIME, artem salutarem hoc modo coluisti solerter, ut  
quam quæ iuuent, quam quæ noceant, haberetis perspecta. Vberius  
hoc testatum facit thema, quod Tibi selegisti inaugurale de noxa ex in-  
consulto remediorum domesticorum usu, & quod ipse Tu solus, ratio-  
nis & experientiæ suffragio suffultus, scite elaborasti. Neutiquam  
igitur dubitandum, quin hanc salubrium & insalubrium scientiam,  
quam tum Ienæ, tum apud nos hausisti, feliciter ad usum sis transla-  
turus, ipsiusque actis opera cum auspicio successum tractaturus. Ego  
ceterum Tibi de nouis honoribus gratulor ex animo ac vt imposterum  
Tibi saluo & incolumi ex voto cedant omnia, precor ac voueo. Va-  
le. Deproperab. Hale Magdeb. d. xxix. Martii ccxcccxxix.